MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80713-6

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HEMPEL, OTTO

TITLE:

DE AGESILAO QUI FERTUR XENOPHONTIS

PLACE:

BERLIN

DATE:

[1894]

Master Negative #

92-80713-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88XL
DH

Hempel, Otto,
...De Agesilao qui fertur Xenophontis quaestiones vom Oberlehrer Dr.Otto Hempel... Berlin, druck von A.W.Hayns erben, [1894]
18 p. 25½ cm.

At head of title: Jahres-bericht über das Königliche Friedrich-Wilhelms-Gymnasium und die Königliche Vorschule zu Berlin...1894....

143437

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14 X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-28-92 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

HA1-TX8

88XL DH
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

8 8 XL
BZ 6

Jahres-Bericht

über das

Königliche Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

und die

Königliche Vorschule

zu

BERLIN.

Ostern 1894.

Inhalt:

1. De Agesilao qui fertur Xenophontis quaestiones. Vom Oberlehrer Dr. Otto Hempel.
2. Schulnachrichten.

BERLIN.
Druck von A. W. Hayns Erben.

1894. Progr. Nr. 56.

F8XL
DH

De Agesilao qui fertur Xenophontis quaestiones.

Hartmanum in Analectis Xenophonteis (Lugd. Bat. 87) Agesilaum non a Xenophonte sed a discipulo scholae cuiusdam Isocrateae profectum esse contendentem Lippelt (Quaest. biogr. Bonnae 89) vehementer impugnat. Qui vir doctissimus, ut laudationem probet genuinam esse, illos locos, in quibus Roquette (De X. vita et scriptis diss. Regim. 84) et Hartman maxime offenderunt, ingeniose defendit contigitque ei sane, ut plures difficultates, quae illis exstare viderentur, removeret. Neque tamen, quamquam libere concedimus nos summa cum delectatione libellum eius perlegisse, adducti sumus, ut Xenophontem auctorem Agesilai agnosceremus. Ut enim hoc loco omittamus, quae de rebus ipsis a laudatore prolatis iudicanda sint, hoc nobis satis constat Xenophontis dictionem longe abhorrere ab encomii auctoris genere dicendi. Atque ipse Lippelt, cum in extrema parte quaestionis confiteatur sibi verisimilius videri laudationem a Xenophonte non editam esse, quoniam in dispositione haud pauca vituperanda sint, libellum, qualis ad nos pervenerit, cum ceteris Xenophontis scriptis comparari vix posse concedit. Quod quo magis appareat, accuratius in dictionem encomii inquirere liceat.

Ac primum quidem de ipsa libelli dispositione uberius disserendum videtur. In cp. I, 1 prooemii instar laudator praemittit quaedam, quibus Agesilaum *τελέως ἄνδρα ἀγαθόν* fuisse praedicet, qui satis digne laudari non possit. Quibus verbis laudator duo principia, quae in iudicialis et forensis orationis prooemiis exercentur, arte quadam ad suum convertit usum, cum lectoris animum benevolum sibi reddat et attentum (cf. Quint. IV, 1, 5). Tertio autem principio, quo eorum, qui audiant, animi ad perspiciendum faciles fiant, iure non utitur, cum laudis summa breviter orationi proposita audientium studium aliquantum minuatur. Optime igitur laudator praefatus esset, nisi brevitas prooemii, quae pro toto encomio molesta est, vituperanda esset. — Ceterum in omnibus Xenophontis scriptis prooemium desideratur, quare E. Richter (Xenophon-Studien, Lpz. 92) coniecturam suam comprobari putat Xenophontem, cum Scillunte exsularet, quod non habuisset, unde viveret, scripta sua quaestus causa in singulis Graeciae urbibus recitantem prooemia ad voluntates opinionesque civium adaptata composuisse. Cui iure Zeller (Die deutsche Litteratur über die sokratische, platon., aristotel. Philosophie, 92) adversatur ostendens non verisimile esse Xenophontem exsulem tantis augustiis pressum fuisse, ut ostiatim quodammodo recitando opes sibi comparare cogeretur; nequaquam enim traditum esse bona Athenis expulsi publicata esse neque credi posse filios eius anno 362 equo merentes eguisse. — Iam prooemio facto oratoris est eius quem laudat parentes et maiores laudibus celebrare, tum educationem breviter commemorare, denique ea, quae adulescens et vir gloriose fecerit, illustrare

et praedicare. Quae laudandi rationes cum non eodem modo in cuiusvis hominis laudes celebrandas conveniant, etiam in hac re laudatori libera potestas conceditur. Qua licentia usus laudator encomii in cp. I, 2—4 originem Agesilai ita laudibus effert, ut in universum nobilium maiorum faciat mentionem. Atque duabus rationibus propositis et a nobilibus maioribus et a nobili patria *εὐγένειαν* Agesilai concedendam esse docet, cuius rei argumenta e rerum historia petit. Cum vero Agesilai adulescentia et aetas iuvenilis laudatori parum cognita sit, illam silentio praeterit, hanc leviter tangit ita, ut Agesilaum etiam iuvenem virtute perfectissimum fuisse comprobare studeat enthymemate ex consequentibus (§ 5). In duas partes oratio reliqua dispertita est, quarum in priore de Agesilai ducis laude bellica (cp. I—II), in posteriore (III—IX) de Agesilai regis et civis virtutibus agitur. In priore autem parte laudator res ab eo gestas historiam secutus salva illa licentia rhetorica rerum ordine servato narrat eo consilio, ut ex ipsis rebus virtus Agesilai cognoscatur. Singulas autem ducis virtutes, quae non primo obtutu appareant, certis verbis praedicat. Ad facta quidem Agesilai ex historia petita omnibusque satis cognita illustranda argumentatione non opus est (III, 1); longe aliter autem res se habet in laudationis parte altera; qua cum facta et cogitata enarrentur, *ἃ οὐ μετὰ πλείστων μαρτύρων ἐπράχθη*, quibus regis et civis virtutes describantur, firmis argumentis opus est. Atque ipsa argumentatione oratoris epideictici qui vocatur ars dicendi maxime cognoscitur. Sed antequam ad argumentationem aggrediamur, de alterius partis dispositione agendum est, quae ita erit conformanda: 1. de religione et pietate III, 2—5. 2. de iustitia, quae cernatur in pecunia quaerenda IV. 3. de abstinentia V: a) epulandi et potandi § 1, b) dormiendi, § 2—3, c) voluptatis § 4—7. 4. de animi audacia et fortitudine VI. 5. de caritate erga patriam, urbem, totam Graeciam VII. 6. de comitate et honestate VIII, 1—5. 7. a) de Ag. hominis privati tenui victu VIII, 6—8, b) de parco eius cultu IX. Iam primo aspectu auctorem singulas virtutes non certis rationibus enarrasse sed sine ordine alias aliis adiunxisse intellegitur. Ita factum est ut res et perverse narret et iteret; in cp. IV, 4 quidem, ubi de Agesilai sapientia et providentia verba facit, idem fere profert, quod iam in priore parte laudavit (cf. ad I, 24 Hagen: Quaest. Xenoph., Bern 65, p. 18; ad I, 6—9 Hagen p. 14; ad II, 16 Terwelp: De Ages. auctore. Monast. 73 p. 49; in universum Heiland. prolegg. XIX). Videmus igitur in parte II materiam dicendi non satis dispositam esse, unde laudatorem aut neglegentem aut ingenio minus acuto esse colligas. Minime igitur cum iis facere possumus, qui encomii auctorem ob id ipsum collaudant, quod res allatas ad rhetorum praecepta optime disposuerit. (cf. Dörwald: Der didaktische Wert des Xenophont. Ages., Neue Jahrbücher 91: Nirgends auch nur die geringste Breite; in scharfer Disposition entwirft der Verfasser seine Gedanken in grofsen Zügen etc. K. Kyovsky, Stilist.-rhetor. Eigentümlichkeiten in Xenoph. Ages., Pilsen 84: In der Durchführung des Themas, speciell in der Anlage der Disposition, engster Anschlufs an die von den Rhetoren gegebene Methode.). —

Quibus disputatis ad aliam transeamus quaestionum partem. Laudatoris est res dispositas non attenuate simpliciterque narrare sed ornare atque amplificare, et vitia aut omittere aut leviter tangere et decoris verbis obvoluta in laudes vertere. Qua in rerum amplificatione ei cavendum est, ne aut nimis laudando a veritate omnibus perspicua deflectens a lectoribus derideatur aut in vitiis commemorandis in defensionem descendat (Isocr. XI, 4). Quae rerum tractandarum praecepta laudator eo sequitur, quod res ipsas saepe ita exornat et amplificat, ut cum veritate pugnare videantur (cf. Kruse: Wochenschrift für klass. Phil. VI, 32/33); in vitiis autem tegendis laudatori non satis ex sententia rem procedere apertum est. Atque etsi res amplificare ei facile concedetur, tamen eum sententias comprobare et confirmare necesse est, quo argumentando fidem et auctoritatem

addat verbis. Cum vero ex argumentandi ratione maxime cognoscatur, quantum fuerit scriptoris ingenium et quantopere versatus sit in oratione ad rhetorum artem et praecepta componenda, de argumentatione accuratius agere non alienum nobis videtur. Iam in cp. III religionem et pietatem Agesilai laudator comprobat tribus exemplis ex historia petitis (*πίστεις ἄτεχνοι*). In cp. IV iustitiae, quae cernitur in pecunia quaerenda, confirmandae duo argumentorum genera sunt, enthymemata (§ 1—4) et paradigmata (§ 7). Primum enim in § 1 Ag. neminem pecunia privasse, multos locupletasse dicitur. Inde iustitia illa comprobatur enthymemate ex repugnantibus, cui contrarium statim additur *εἰ γὰρ χρημάτων ἐπιθυμοίη* (cf. Arist. Rhet. III, 22). Tum in § 2 Ag. praedicatur, qui etiam quod iure capere potuerit (*χάριτας ὀφειλομένας*) non ad usum converterit, id quod brevi enthymemate efficitur, cui anteoccupatio adicitur, qua, quod Agesilaum illa pro nihilo aestimasse dici possit, occupetur. Tum in § 3a Ag. laudatur, qui aliorum dona et beneficia non ad suam utilitatem sed ad patriae usum contulerit, id quod brevi enthymemate confirmatur. Deinde in § 3b—4 commemoratur Agesilaum, cum patriae prodesse vellet, non frustra speravisse fore ut amici subsidio venirent; unde iustitia eius colligitur enthymemate, confirmatione insuper addita, cui comprobationi sententia adicitur. Denique in § 5 Ag. laudibus effertur, qui maluerit cum honestis in egestate, quam cum turpibus in opulentia vivere. Unde iustitia comprobatur brevi enthymemate, quod duo paradigmata sequuntur (§ 5—6). Ex tota huius capitis argumentatione apparet laudatorem praecepta rhetorum sententiae artificiose confirmandae cognovisse; arte enim rhetorica post ultima enthymemata duo paradigmata quasi testimonia manifestissima affert. Sed enthymematis cumulatis eodemque modo conformatis argumentandi ratio minus commoda fit et languida, quod vitiose confirmandi genus (etiam in Lysiae orationibus vituperandum) optimi oratores diligenter vitant (Isocr. Soph. 16). Quod primum paradigma tam late et verbose refertur, inutile atque ineptum est, cum laudator ipse se rem omnibus notissimam narrare profiteatur. Quare laudatorem in ipsis argumentis tractandis parum exercitatum et rudem esse facile perspicitur. In cp. V *ἐγκράτεια ἡδονῶν* argumentis fulcienda est. Quae res ut probetur laudator utitur partitione ita ut *ἡδονῶν* genus partiatur in species *μέθης, σίτου, ὕπνου, μαλακίας*, quas singulas paradigmatis firmat. Quae paradigmata ita laudantur ut omnia facta et consilia ad cogitatam rationem relata ex ingenua et liberali mente orta esse videantur. (§ 1 *νομίζων*, § 2 *ἡγεῖτο*, 3 *νομίζων*). Quae quattuor partes brevi collectione eorum, quae dicta sunt, optime excipiuntur: *ὡς δὲ συνελόντι εἰπεῖν* etc. Quibus adicitur quinta pars *ἀφροδισίων ἐγκράτεια*, quam auctor comprobare studet enthymemate cum paradigmate confuso (§ 4), quo de paradigmate uberius disputatur in § 5. Cum vero auctor ipse sentiat, quam breve illud exempli et minus cogniti et in dubitationem vocati argumentum sit, anxia cura in iis quae sequuntur eorum opinionem refutare studet, qui Agesilaum non castum continentemque fuisse contendere possint. Quam male hoc leve et absurdum argumentum multis verbis extensum cum quattuor, quae antecedunt, argumentis conveniat, facile intellegitur. Quare si hanc quintam paragraphum ab eodem totius encomii auctore profectam esse putandum est, etiam ex cp. V laudatorem in praeceptis rhetorum versatum quidem sed in usu rudem cognoscimus. Longum est eodem modo omnium capitum argumentationem persequi; quare, qualis capitum VII et X sit, docere satis habeamus. Primum laudator ponit: *Ἀγ. φιλόπολις ἦν*, id quod ita confirmatur, ut Agesilaum semper patriae consuluisse contendat. In § 1 breviter commemorat, quomodo ille patriae profuerit. Cui universe dicto testimonium laudat omnium aequalium memoriam. Tum propriae quaedam utilitates afferuntur: 1, § 2 Ag. legibus oboediens patriae maximo emolumento erat; quod dictum duobus enthymematis ex repugnantibus confirmatur. 2, § 3 Ag. omnes cives liberaliter et quasi paterno amore tractans

patriae maximum usum praebuit; quod comprobatur pluribus enthymematis ex consequentibus. Tum laudator ponit: Ag. *φιλέλλην ἦν*. Hanc sententiam quoniam non aeque facile atque illam probare potest, cum vitia omnibus cognita reperiat, primum ita fulcire studet, ut Agesilaum, qui Graecas urbes expugnaverit, qui suis tantum commodis, non universae Graeciae utilitati consuluerit, excuset, quod alii quoque Graeci eandem culpam contraxerint. Tum (§ 5—6) duo paradigmata sequuntur, ex quibus Ag. omnium Graecorum amore incensum fuisse appareat. Denique illius totius Graeciae studii testimonium affert Agesilai in omnes Persas odium atque invidiam, quod odium pluribus enthymematis ex consequentibus confirmat. Quam argumentationem si examinamus, laudatori argumentandi artem deesse videmus, ubi res minus laudandas rhetorica arte in laudem convertendi locus est. Namque Agesilai rationem, qui Graecorum urbes per vim in suam potestatem redegerit, eo excusare, quod alii idem fecerunt, ineptum est (Isocr. XI, 45). Multo elegantius profecto atque artificiosius laudator docere potuit turbulentis in Graecia tempestatibus factum esse, ut Agesilai Lacedaemoniorum civitatis pietas cum totius Graeciae caritate pugnaret, et melius laudare potuit Agesilaum, qui amorem patriae, in qua natus esset atque educatus, potiorem duxisset omnium Graecorum studio. Neque magis aptum videtur testimonium, quod duobus paradigmatis inest (5—6). Restat ut pauca disseramus de cp. X: Pluribus verbis ea quae dicta sunt repetere laudatoris non est, sed breviter totius laudis summam colligere aptum videtur. Qua in collectione omnia augenda et amplificanda sunt. Etiam argumentationis in exordio locus est, sed argumenta non ex intelligendi arte hauriuntur sed ad auditoris animi concitationem accommodantur. Quibus argumentis patheticis (*πίστεις ἠθικαί, λογικαί, παθητικαί* Minuc. 417, Spengel de Arist. art. Rhet. 28) laudator ipse concitato animo auditoribus ad rem deliberandam et intelligendam tempus non dat, sed eos animi fervore et impetu rapit ad eius quem laudat admirationem. Quibus praeceptis de exordio faciendo orator optime usus est. In § 1 laudes brevissime colliguntur et arte quadam ita definiuntur, ut Ag. praedicetur, qui summas virtutes non solum habuerit sed etiam exercuerit. Atque per totum caput laudes ita augentur, ut animi quodam impetu Agesilaus *δικαίως ἀνὴρ ἀγαθός* appelletur (§ 1), qui omnibus virtutibus perfectissimus optimum exemplum sit ad imitandum propositum (§ 2. id quod enthym. ex rep. et patheticis confirmatur). Quare hic fortissimus vir omnibusque numeris absolutus non qui *θρήνῳ* sed qui *ἐγκωμίῳ* celebretur est dignissimus (§ 3). Itaque etiam ter quaterque beatus praedicandus est, qui a prima pueritia *τοῦ ἐγκλεῆς γενέσθαι* finem sibi propositum praeter opinionem sit nactus. Sic *ἐπαινεῖσθαι* in *μακαρίζεσθαι* convalescit. Quodsi paucis comprehendimus, quae de argumentatione dicenda sunt, encomii auctorem rhetorum praecepta non solum didicisse sed etiam saepe bene tractasse, nonnunquam autem cumulatis eiusdem generis argumentis molestum et in vitiis tegendis rudem esse confitendum est.

Ad quaestionem de arte rhetorica, qua Xenophon orationes composuerit, diiudicandam plurimum valent orationes, quae Anabasi insertae sunt, neque Hellenicorum orationes minoris sunt momenti. Quae orationes etsi non tam epideicticae quae dicitur quam forensis et deliberativae eloquentiae sint, tamen finitimae sunt orationi epideicticae; quare operae pretium est quaerere, quomodo dispositae et quali argumentandi arte adhibita conscriptae sint. Ac primum quidem inquiramus, quatenus orationes iudiciales ex rhetorum praeceptis dispositae sint. — Accusationes exstant in Anab. V, 7, 5—33 (quae oratio eadem defensio est); in Hell. II, 3, 24—34 oratio Critiae; in Hell. VII, 3, 6, Thebanorum oratio in eos, qui Euphronem interfecerunt. Accusatio Anab. V, 7, 12—33, qua nihil omnino elegantius a Xenophonte scriptum esse et Hartman et Wifsmann (de genere dicendi Xenoph., Giefsen 88) iure contendunt, prooemium habet (§ 12), quo attentiores

fiant auditores, cum de nova et inaudita re agi dicatur, quae ad omnium, qui audiant, salutem pertineat. Quod prooemium sequitur longa narratio (13—25), propositio et partitio desunt, argumentationisque vice malorum descriptio exstat, quae ex delicto in praesens et futurum tempus oriantur (§ 33). Pro usitata peroratione in fine invenimus sententiam, qua orator iudicum *ἦθος* appellat. Porro Critiae accusatio Hell. II, 3, 24 in Theramenem incipit a prooemio, quod excipitur prima propositionis parte (27), cum narrationem et argumentationem coniunctas esse videamus. In § 30 altera pars propositionis inest, quam argumentatio cum narratione coniuncta insequitur (31). Post apostrophen porro, quae in § 32a reperitur, invenimus commiserationem, in peroratione denique *τὸ πάθος* auditorum excitatur augendo et amplificando. Accusatio in Euphronis interfectores (Hell. VII, 3, 6) a propositione initium capit; quam cum argumentatio excipiat, concluditur oratio repetita accusatione. — Defensiones, quae in Anab. et Hell. exstant, hae sunt: An. V, 7, 5—11. V, 8, 2—26. VII, 6. 11—38 et minores orationes V, 6, 28—33. VII, 7, 4—10. Hell. II, 3, 35—49. VII, 3, 7—11. Atque oratio Anab. V, 7, 5—11 prooemium habet ex re (§ 5), quo orator secundas aures et iustum iudicium sibi petit; post prooemium statim habemus argumentationem et refutationem in singulas partes non divisas. Conclusioni (§ 10) commiseratio quaedam antecedit, in qua magna Xenophontis merita ingratis militum animis opponuntur. In peroratione (§ 11) postulatur, ut adversarii ipsi crimen certis argumentis comprobent. — Defensioni Anab. V, 8, 2—26 interrogatio adversarii antecedit (§§ 2—7), qua factum ipsum constat. In §§ 8—12 narratio interrogandi modo inest, quam refutatio sequitur. (13—24). Peroratio (25—26) commiseratio quaedam est, qua ingratissimi animi milites arguantur, quae concluditur sententia amplificando prolata. — Oratio Anab. VII, 6, 11—38 prooemio omisso a propositione orditur, post quam brevem narrationem exstare videmus (10—14). In §§ 15—35 cum argumentatio cum refutatione coniuncta sit, conclusio (36—38) commiserationis in modum conformata est. Etiam in minoribus defensionibus, quae in Anab. leguntur, prooemium non subest, argumentatione scilicet cum refutatione coniuncta. Theramenis defensio Hell. II, 3, 35—49 statim cum ab ultima Critiae accusatione refutanda incipiat, iam reliqua crimina ex ordine revincuntur. Concluditur autem defensio non commiserando sed hortando, nimirum ut accusator contrarium argumentis comprobet. — Defensio eorum qui Euphronem interfecerunt Hell. VII, 3, 7—11 pooemium habet captationem benevolentiae, cum se iudicum auctoritatem vereri dicant. Sequitur quasi partitio (*πρῶτον μέν, ἔπειτα δέ*), sed partium ordo in argumentatione turbatus est. In peroratione est consummatio eorum, quae in argumentatione dicta sunt. — Videmus igitur neque accusationes neque defensiones ex rhetorum praeceptis orationis iudicialis componendae scriptas esse, cum omnes fere constent duabus partibus, quae cuiusvis generis orationi maxime necessariae sunt: narratione et argumentatione (Arist. Rhet. III, 13). Prooemium saepe omittitur, argumentatio et refutatio non separantur. Neque peroratio arte rhetorica scripta est, cum argumentorum consummatio praeter illam brevissimam Hell. VII, 3, 11 non inveniatur, amplificatio perraro adhibeatur, etiam commiseratio saepe neglegatur. Ab singularum partium usitato ordine X. nonnumquam digreditur, ut in Critiae accusatione, in qua propositio et partitio proferuntur singulis propositionis partibus iam explicatis. Atque idem, quod de orationibus forensibus diximus, in suasorias cadit. Suasoriae autem sunt in Anab. III, 1, 15—30, 35—44. III, 2, 8—32. VII, 7, 20—47 (Xenophontis). II, 5, 3—23 (Clearchi et Tissaph.) in Hell. III, 5, 8—15 (Theban. legati). V, 2, 12—19 (Cleigenis Acanthii). VI, 1, 4—16 (Polydamantis). VI, 3, 4—17 (Calliae, Autoclis, Callistrati). VI, 5, 37—48 (Cleitilis et Proclis). VII, 1, 2—14 (Proclis et Cephisodoti). Quibus ex orationibus tres diligentius examinare sufficiat. Oratio Anab. III, 1, 15—25 ex brevi prooemio initium ducit, quo

res militum afflictas atque desperatas causam dicendi Xenophon significat (*ὁρῶν ἐν οἵοις ἐσμέν*). Iam res ipsae explicantur usque ad § 20 et militum animi augentur in § 21. Usque ad § 24 argumentationem habemus, quam denique adhortatio concludit. Orationem ex rhetorum praeceptis non dispositam esse vel primo obtutu apparet. Porro in oratione III, 2, 8—32 prooemium deest. Brevi autem narratione usus orator redit ad orationem quae antecedit et iam quaestionem esse ea de re dicit, utrum amici an hostes Persarum progrediantur. Tum autem illa re omissa tantum de altera parte agitur, quae statim incipit a propositione: *πολλαὶ καὶ καλαὶ ἐλπίδες*. Cum partitio desit, post propositionem habemus argumentationem usque ad § 16 et refutationem usque ad § 25. In § 26—31 quasi tertia pars orationis est, qua de condicionibus agitur, quibus *ἐλπίδες* illae verae fiant. Concluditur oratio in § 32 adhortatione. — Luculenta denique Clearchi oratio II, 5, 3—15 prooemium habet (§ 3—5), post quod propositio primae orationis partis exstat (§ 6). Alteri parti propositio non praemittitur, sed cum singulas partes singulae argumentationes sequantur, concluditur oratio amplificando. — Illas autem orationes, quae minoris momenti sunt, multo minus ex rhetorum praeceptis dispositas mirum non esse concedendum est. Apparebit tamen et forenses et suasorias orationes rhetorum arte non dispositas sed copiose et facunde scriptas esse. Nam etiamsi in Proclis oratione (Hell. VI, 5, 38 q) prooemium, propositionem, conclusionem inesse videmus, in plurimis tamen orationibus aut haec aut illa pars deest. Atque id ipsum tenendum est exordium et conclusionem et argumenta generibus illustrata (Cic. de or. 1, 23, 102) etiam oratori facundo magis quam rhetorum praeceptis bene instituto esse necessaria. Xenophontis orationes autem habent propriam quandam et naturalem dispositionem, quae maxima cernitur in cogitatis plane et perspicue dispositis. Quae subtiliter disserendi ratio et scientia Xenophontis propria Socratici est, qui principe illo disserendi subtilitatis familiariter usus ingenium et intellegendi facultatem exacuerat. Nusquam enim in Xenophontis orationibus sententiarum ordo adventicius est, sed cogitationi innatus et insitus, ita ut sententia ex sententia oriatur et eorum, qui audiant vel legant, animi non sentientes ad singulas orationis partes traducantur.

Eadem quam supra docuimus bene disserendi ars ingeniique facultas in argumentatione perspicua est. Cuius rei nonnulla liceat afferre excempla: In orat. Anab. III, 2, 8—32 propositio *εἰ διανοούμεθα σὺν τοῖς ὅπλοις διὰ παντὸς πολέμου-σωτηρίας* tribus partibus explanatur, quarum prima ea praedicantur, quae pro proposito sint, altera ea refutantur, quae contra sint, tertia ratio indicatur, qua spes illa bene eveniat. Atque duarum priorum partium argumentatio et refutatio elegans atpue subtilis est, quod paucis demonstrabitur: P. I: Iure nobis illae *πολλαὶ κ. καλ. ἐλπίδες εἰσίν*, nam positae sunt, 1. in opinione deorum iustitiae (§ 10), quae fit argumentatio enthymemate ex consequentibus, 2. in usu, quem ex rerum historia discimus (11—13) (argumentatio per duo paradigmata), 3. in nobis ipsis, qui multo maiora praestiterimus (14—16), quae est arg. paradigmate, enthymemate ex consequentibus, enthymemate ex repugnantibus. P. II: Iure nobis illae *πολλ. κ. κ. ἐλπ.* sunt, nam difficultates non obstant sed obstare videntur, quoniam numero quidem minores sumus quam antea Cyreis nos deserentibus. Refutatio: Sed multo melius est ignavos ab hostium partibus stare (17); 2. equitatus nobis deest. Ref.: Sed milites, non equi acie decertant et pedites multo firmius tutiusque pugnant (18—19); 3. duce itineris Tissapherne non utemur. Ref.: At viae coactus dux multo melior est voluntario et perfido, et res ad vivendum vi et armis captae multo quaestuosiores sunt quam emptae (20—21). Videmus igitur refutationem fieri rationis conclusionibus, quae dicuntur syllogismi; 4. flumina, quae nobis obstant, impedimenta sunt, quae superari non possint. Refutatio: Sed prope fontes omnia flumina facile qossunt transiri (22). Refutatur *ἐν στάσει* (cf. Arist. Rhet. II, 25). Quod sequitur est argumentum

a fictione (23—25): atque si omnia nos re vera impedirent, animi non essent demittendi, nam ubivis in terra hostium collocare sedes possumus et vita frui bonis abundanti. — Eadem argumentandi ars ex defensione Anab. 7, 7, 21—47 apparet. Nam utilitas, quae ad honestatem pertinet, probatur enthymemate ex consequentibus et paradigmate; utilitas autem, quae ad bona augenda spectat, argumentatione ex comparatione (28—29), complexione, quae dilemma vocatur (30), enthymemate ex consequentibus (31), argumento ex causa et occasione (32), dilemmate (33—34), hypophora et antihypophora (35), quae antihypophora probatur conclusione a genere ad speciem (35). Damnum autem, quod ex stipendio non soluto redundaverat, exponitur enthymemate ex consequ. (38), testimonio (39), iureiurando (40), hypoph. et antihypophora (41), cuius argumentatio fit enthymemate ex consequentibus (42). Neque minor est ars argumentationis et ratiocinandi in orationibus, quae in Hellenicis leguntur. Cuius rei documentum orationis, quam Thebanorum legatus habuit (III, 5, 8—15), argumentationem afferre satis erit. In § 9 primum contenditur foedus Atheniensium cum Thebanis contra Lacedaemonios faciendum *δίκαιον* esse. Quod ut explanetur, argumenta ex rerum historia et enthymemate ex consequentibus petuntur, si quidem eadem ratione societatem illam Atheniensibus ipsis *συμφέρουσαν* esse probatur (10). Maximum autem orationis huius momentum positum est in metu Spartae removendo. Quod primum eo efficitur, quod eorum sententia refutatur, qui Spartam potentiorem esse putant quam cui resisti possit; tum quod argumentis comprobatur Athenas tunc opibus validiores esse quam antea. Atque refutatio efficitur antisyllogismo, quem argumentatio sequitur; quae argumentatio fit partitione, cum illud *πολλοὶ ἀναφανήσονται οἱ μισοῦντες αὐτούς* in singulas partes dividatur. Tum Atheniensium opes validiores comprobantur argumentis positis in belli causa et comparatione. — Neque minus Proclis orationis, Hell VI, 5, 38—40, ars laudanda est, qua auxilium Spartae ferendum primum *συμφέρον*, deinde *δίκαιον*, denique *καλόν* esse magna disserendi subtilitate exponitur. — Quibus exemplis allatis facile cognoscitur propriam Xenophontis laudem esse non solum de omnibus rebus in contrarias partes subtiliter disputare, sed etiam argumenta sic variare, ut eorum qui audiant animi facillime ad credendum adducantur. Tantum vero abesse mihi videtur ut illam artem ex rhetorum praeceptis didicerit, ut facultatem ingenii Socratici usu auxerit et acuerit (cf. Hartm. anal. 17 ff.). Plurimum igitur in disponendi et argumentandi arte inter encomii auctorem et Xenophontem interest. Auctor enim cum operam det, ut laudes quam maxime aptet orationis formae, quae a rhetoribus praecipiebatur, Xenophon illis praeceptis in orationibus componendis minime utitur. In encomio, ac maxime in huius parte altera, cum sententiae parum dilucide et distincte explicentur nec sententiae manent ex sententiis sed dissolute rhetorica transitione annectantur, in Xenophontis orationibus sententiae subtiliter dissertae sententiis continuantur. Encomii denique auctorem in rebus argumentandis cum neglegentem tum ineptum esse, Xenephontem et argumentantem et refutantem acutissimo ingenio disserendique artis peritissimum videmus. Eandem vero laudatoris neglegentiam cernere licet in transitionibus eligendis. Immoderatum enim usum particulae *γὲ μήν* Frederking (ann. phil. 82, 535) suo iure illi vitio censet tribuendum esse neque magis ea ex re de tempore, quo conscripta sit laudatio, posse accuratius iudicari. Quod iudicium probant et Lippelt (p. 31, Anm.) et Simon (Xenophon-Studien I, 6, A.); neque minus in illo usu offendit Kyovsky (l. l.), qui quamquam Xenophonti libellum attribuit (secutus Nicolai iudicium) facere non potest quin fateatur: In der Verbindung der Sätze und der Wahl der Partikeln unterscheidet sich der Agesilaus von Xenophons anderen Schriften wesentlich. Das allzuhäufige Vorkommen der Beteuerungspartikel zeigt, dafs der Verfasser entweder peinlich gewissenhaft ist oder Unwahres mitteilt, oder wenigstens nicht ganz sicher in seinen Mitteilungen ist; er will sich also Glauben verschaffen. Idem plures locos

affert, quibus eluceat Xenophontem veritum esse ne verbis suis fides non haberetur. (2,21. 3,1. 3,2. 4, 5, 8, 7.) Num re vera putas Xenophonti quamvis seni id timendum fuisse? Sed redeamus ad Agesilaum.

Tropos et figuras, quae in Agesilao reperiuntur, summa cum diligentia collegit Kyovsky. Quibus plurimis adhibitis laudator se rhetorum quidem orationis ornandae praecepta et diligenter didicisse et cogitate studioseque tractavisse sole clarius est. Quibus concessis tamen in ipsis illis ornamentis tractandis laudatorem minus sollertem esse fatendum est. Nam qui figuris verborum immoderate atque effuse utitur, non ornamenta quaerit sed lenocinia. Superlationum quidem multitudo, quae in nono capite inest, orationem facit frigidam, cum fieri non possit quin auditor omnia consilio in maius extolli sentiat. Quare vituperandus est laudator, cuius oratia non multum ab eo abest, quod graece dicitur *κακόζηλον*. Etiam ex similitudinum usu inscitia quaedam auctoris apparet. Nam quod VI, 7 Agesilaus vel exercitus eius, qui in hostium finibus caute provideque progreditur, cum verecunda virgine comparatur, absurdum videtur, cum similitudo intellegi non possit sensuque disiuncta sit. Id autem, quod ad aliam rem dilucidiorem faciendam adhibetur, ipsum evidentius et significantius sit quam simile necesse est. (Quint. VIII, 3, 73.) Quod Sauppe cum h. l. comparat d. Rep. Laced. III, 5, *αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων*, in illo quidem libro adulescentes Lacedaemoniorum, qui verecunde ac modeste incedunt, neque oculos circumferentes neque manus huc illuc porrigentes, optime comparantur cum virginibus, quae in conclavi sedeant et conspectum hominum fugiant. Prudentem vero imperatorem vel exercitum, cuius est oculos circumferre et omnia perlustrare (cf. Ag. VI, 7) cum virgine in via ingrediente oculis in terram demissis bene comparari omnino negemus. Denique si cum Baumgartenio ad h. l. virgines intellegimus, quae *κανηφόροι* dicuntur, quae Cereris et Liberi diebus festis deorum sacra in canistris ferebant, similitudo collatione non explicata multo obscurior est. Valde igitur mihi placuerunt Hartmani verba: „Novimus omnes Monacensem illum pictorem, qui lepidissimis imaginibus vitam militarem „illustrare“ potest. Quam vellem nobis Agesilai exercitum depingeret his verbis usus!“ — Transeamus iam ad quaestionem, qua compositionis arte laudator orationi et suavitatem et gravitatem tribuerit. De singulis verbis ad colum construendis primum traditur hiatum quam maxime vitandum esse. Quod praeceptum neque Xenophon neque laudator sequi studet. Hic quidem multo saepius hiatum neglegit quam ille, atque haud paucis locis ex Hellenicis transscriptis, quibus hiatus est vitatus, consulto eum neglexisse esset putandus, si satis constaret, utrum Agesilai contextus (I, II) antiquior esset an Hellenicorum (sic vult Rosenstil in diss. de Xenophontis hist. Graeciae parte bis edita. Jenae, 82. cf. Phil. Rundschau, III, 12, 355 [Zurborg]). Est autem oratoris, qui summa arte orationem faciat, numerose verba componere. Qui numerus oratorius compositus est ex syllabis brevibus cum longis certa ratione coniunctis et maxime cernitur in hoc aut illo verborum numero oratoris animi affectui consentaneo. Sic in Isocratis orationibus persaepe periodi ita componuntur ut modo hic modo ille verborum numerus praevaleat. Sed ne omni parte poetarum more procedat oratio, aliae periodi inseruntur, in quibus verborum numerus plane neglegitur. At contra nimio illo numerose dicendi studio facile factum est, ut interdum versus integri in orationem irreperent. (cf. Schmidt: Lehre vom orator. numerus. Mannh. 58.) Eandem fere verborum compositionem, quam Schmidt l. l. in Isocratis orationibus inesse docuit, in Agesilai encomio reperimus. Cuius compositionis exempla propter spatium perexiguum nobis concessum sunt omittenda atque iam numerum in prooemio conspicuum accuratius cognoscamus. Atque incipit oratio a versu dactylico, quo in numero grande quoddam et elatum dicendi genus inest. Quem dactylum sequuntur duo dimetri iambici catalectici syllabarum mensura aeque compositi; qui cum ab anapaesto initium capiant, bene sic opponuntur gravi dactylo, ut paulum intersistere necesse sit, qua mora eorum qui audiunt exspectatio fiat erectior. Tum iambis continuatis oratio praeceps contendit et fortiter nervoseque ascendit ad maximum illud *ῥᾴδιον ἄξιον ἔπαινον γράψαι*, quibus in dactylis gravitatem quandam inesse nemo non videt. Iambis, qui post dactylos positi sunt, procedit oratio ad gravem apodosin *ὅμως δ' ἐγχειρητέον*, quae constat dactylis aeolicis. Cuius apodoseos confirmatio incipit dimetro trochaico catalectico et terminatur septenario. Trochaici autem numeri proprietas est impetus quidam, qui efficitur arsi interiecto haud magno spatio repetita. Nam ardore quodam animi orator omnem dubitationem depellit se Agesilai hominis perfectissimi virtutes laudaturum ineptum facere aut absurdum. Atque cum dimeter iambicus sit catalecticus, oratori in ultima syllaba paulum morandi locus datur, ut respiratione facta maiore et pleniore voce quae sequantur ordiri possit a numero dactylico. Cum vero prooemium terminetur septenario, qui numerus ad orationis partem claudendam minus aptus est, ex eodem numero iambico leviter defluenti apparet oratorem vehementi desiderio teneri ad laudationem ipsam transeundi. Qui extremi prooemii numerus optime convenit prooemii brevitati. — Reliqua exempla si contuemur, videmus laudatorem in verbis numerose struendis tum maxime operam locare, cum narrandi intermissione facta cogitandi et commentandi locus datur, ubi scilicet ii, qui audiunt, aures praebent et ad numerum verborum percipiendum aptissimi sunt. Sic in primis duobus capp. verborum numerus exercetur, ubi laudator verbis in Hell. repertis suas commentationes immiscet, cf. I, 1. 6. 36, II, 23, et maxime in cap. X. Atque primo statim adspectu orationem ex cuiusvis generis numero constare videmus, praecipue iambico et trochaico (cf. Isocratis praecepta apud. Ioann. Siciliot. Walz. tom. II, p. 165). Nec minus apparet laudatorem maxime in singulorum membrorum et initio et fine (de numero in exitu orationis observando cf. Mart. Cap. 476 et Caes. Bass. de comp. in Keil. Gramm. Lat. VI, 1, 308 sq.) verbis numerose componendis studere, quo studio fit, ut interdum dicendi genus a poetarum consuetudine non abhorreat. Cui rei decimum caput summa profecto arte et diligentia compositum maximo argumento est. Atque ne nimis poetice loqui videatur, orator consulto alios locos inserit, in quibus oratio plane soluta est. Quibus demonstratis encomii auctorem haud rudem esse orationis ad verborum numerum componendae confitebimur. Sed cum huius ornamenti modum adhibere non didicerit, magis dicendi artificem quam bonum oratorem se praestat. cf. Dion. Hal. de comp. verb. XXV. — Iam rhetores operam navarunt periodo sic componendae, ut cola numerose formata complecterentur arto et circumscripto verborum ambitu. Cuius circuitus et quasi orbis verborum leges etiam a laudatore observari facile animadvertas. Quare h. l. insignia quaedam exempla figurarum periodi afferre satis habemus. Frequentissimus contrapositi (*ἀντιθέτου*) usus est. VII, 2. *δυνατώτατος ὢν ἐν τῇ πόλει φανερὸς ἦν μάλιστα τοῖς νόμοις λαιρεύων*, ubi contrarium in cogitatione positum est. Alia antitheta his particulis formantur: *μᾶλλον-ἤ* I, 8. IV, 1, 5, 6. *οὔτε-οὔτε* V, 6. *οὐχ ἧττον-ἤ* VI, 4. *οὐχ-ὡς* X, 2. *μὲν οὖ* II, 12. *οὐ μόνον-ἀλλὰ καί* I, 19. IV, 2. VIII, 2. IX, 4. *οὐκ-ἀλλὰ* I, 2, 3, 20. II, 7, 13. III, 1. V, 1 (bis) 2. VI, 2. VII, 5. VIII, 4, 5. IX, 5. X, 2, 3. *μὲν-δέ* I, 1, 3, 12, 19 (bis) 33, 34, 35, 36. II, 24, 31. III, 2. IV, 1. V, 1, 3, 7. VI (undecies). VIII, 1 (bis) IX undecies X, 1 (bis). Ceterarum periodi figurarum (*ἰσόκωλον*, *πάρισον*, *παρομοίωσις*, *ὁμοιοτέλευτον* etc.) haec exempla eligimus: I. *ἰσόκωλον* plane aequatum: VI, 3. *ταῦτα μέντοι πλεονεκτεῖν οὐκ ἠσχύνετο | ἐν μὲν τῷ θέρει τοῦ ἡλίου* (9) *| ἐν δὲ τῷ χειμῶνι τοῦ ψύχους* (9). — *ἰσόκωλον* et *ὁμοιοτέλευτον*: IV, 5. *ὅστις δὲ ἠρεῖτο | καὶ σὺν τῷ γενναίῳ μειονεκτεῖν* (10) *| ἢ σὺν τῷ ἀδίκῳ πλέον ἔχειν* (10) || II. *ἰσόκωλον* prope aequatum: I, 22. *ἀφαιρῶν αὐτῶν ὅσα δοῦλοι δεσπόταις*

ὑπηρετοῦσιν (17) | *προσέταττεν, ὅσα ἐλεύθεροι ἄρχουσι πείθονται* (16) | I, 34. *τὴν μὲν τῶν φίλων χώραν ἀδήωτον παρέχων* (14) | *τὴν δὲ τῶν πολεμίων οὕτω καρπούμενος* (13) | IV, 1. *ὑπὸ γὰρ Ἀγησιλάου στέρεσθαι μὲν οὐδεὶς οὐδὲν πώποτε ἐνεκάλεσεν* (16) | *εὖ δὲ πεπονθέναι πολλοὶ πολλὰ ὡμολόγουν* (14). | VII, 2. *τίς γὰρ ἂν ἠθέλησεν ἀπειθεῖν* (10) | *ὁρῶν τὸν βασιλέα πειθόμενον* (11). | *πάρισον* et *ὁμοιοτέλευτον*: VII, 2. *τίς δ' ἂν ἡγούμενος μειονεκτεῖν* (10) | *νεωτερόν τι ἐπεχείρησε ποιεῖν* (12) | I, 3. *ὥστε οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν* (10) | *ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν* (11) | V, 3. *Ἀγησίλαος πονῶν μὲν ἠγάλλετο* (12) | *ὑρσιώνην δὲ πάμπαν οὐ προσίετο* (11). || III. *ὁμοιοτέλευτον*: I, 25. *ἀνδρῶν γυμναζομένων — ἱππέων ἱππαζομένων* | II, 29. *ἀποδώσειν — ἐλευθερώσειν — ἐπιθήσειν* | VII. *καὶ μανίας — καὶ ἀργίας.* || IV. *παρομοίωσις.* I, 19. *ἅμα μὲν χρηματίζοιντο — ἅμα δὲ ἐνδοξότερον γίγνοιντο* | III, 1. *καὶ πάντων τῶν καλῶν ἥρα* | *καὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἐξεδίωκεν* | VI, 4. *διὰ τὸ μὲν πείθεσθαι εὔτακτος οὖσα* | *διὰ δὲ τὸ φιλεῖν τὸν ἄρχοντα πιστῶς παροῦσα.* Ex his aliisque, quae collegimus, exemplis laudator etiam in oratione periodi figuris exornanda modum excedere videtur. Contrarii quidem usus tam frequens est, ut iure in eum Theophrasti vituperatio cadat, qui figuras illas immoderate et effuse adhibitas *μειρακιώδη* appellat (de Isocr. iud. 12, 14); cf. Hartman 249: „Habent illae (sententiae) eam *ἀντιθέτων* aequabilitatem, eos numeros oratorios, ut non tam ex hominis loquentis ore vocem prodeuntem audire tibi videaris quam sonos ex aliquo instrumento certis temporum intervallis emissos.“ Denique ei, qui omni parte perfectam et absolutam orationem facere studet, non solum singulorum verborum sed etiam membrorum, quae circuitu comprehenduntur, et periodorum, quibus orationis pars continetur, complexionis numerus diligenter adservandus est. Quo periodorum numero prae ceteris genus dicendi epideicticum excultum est, quod cum poematis melicis comparari potest. Nam ut in poemate melico ordines maxime sibi dispares specie quidem sine ulla lege inter se coniunguntur, reapse stropharum symmetriae certa ratione componuntur, sic in oratione epideictica omnia membra omnesque periodos apta esse et inter se convenientia opus est, ut, si totam orationem spectamus, circumscripta et quasi rotunda videatur constructio. Quae *τῶν περιόδων εὐρυθμία* eo efficitur, quod, si membrum aut brevius aut longius circumscriptioni immiscetur, simile membrum non deest et quod periodi, quae singulis aut ternis membris constant (*μονόκωλοι* aut *τρίκωλοι*) non sine ordine et lege iis, quae binis compositae sunt (*δίκωλοι*), inseruntur. Cuius modi periodorum eurythmiam, si verbo graeco uti licet, quam Blassius in Isocratis orationibus observavit et Schacht (De Xenoph. studiis rhetoricis, Diss. Berol. 90) nonnullis Xenophontis locis reperit, ab encomii auctore ratione rhetorica studiose adhibitam demonstrabimus. Atque in § 1—5 praeter exordium tribus partibus oratio constat, quarum una maiores, altera patria, tertia adulescentia Agesilai laudatur. Prooemium (§ 1) duabus periodis, quarum altera *δίκωλος*, altera *τρίκωλος* est, comprehenditur. Colorum autem longitudo ea ratione formatur, ut pro gravitate propositi, quod indicatur, *δίκωλος* a membro longo incipiat, quod breve sequitur, *τρίκωλος* autem inverso ordine a brevi membro initium capiat, post quod duo membra posita sunt, quae sub finem periodi accrescunt. Videmus igitur prooemii orationem vi quadem et gravitate incipientem in medio minui et sub finem augescere. Plena verborum conclusio efficitur hyperbato: *μειόνων ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων.* Iam laudes maiorum Agesilai (§ 2—3) duabus partibus continentur, quarum prioris (§ 2) periodorum numerus (si cuiusque periodorum membra numeramus) est: 3. 2., posterioris 3. 2. 3. In § 2 rhetorica arte verborum circuitus sic formatur, ut periodi membrorum quidem numero pares immutato ordine prooemio opponantur. Ac ne pedes quidem compositionis eodem atque in ultima prooemii periodo ordine sequuntur, cum prooemii *τρίκωλος* augeatur, insequens *τρίκ.* decrescat. Qua mutatione efficitur, ne oratio lentius aequabiliusque accidat auribus. *Λίκωλος,* quae sequitur, *ἰσόκωλον* est, quod

lectis plenisque verbis concluditur: *ἐκ βασιλέων βασιλεῦσιν.* In § 3 periodorum numerus plane respondet ei, qui in § 2 antecedit, cum oratio *τρικόλῳ* incipiat, post quam habemus *δίκωλον,* quod est *ἰσόκωλον.* Tota autem maiorum laudatio arte quadam concluditur *δικόλῳ,* cuius syllabae numero pares simillime desinunt hunc in modum: *οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν | ἀλλὰ ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν.* Alterius partis, qua patria Agesilai laudibus effertur (§ 4), periodorum numerus est: 1. 2. 2. 2. Quod in hac paragrapho positum est, uno membro comprehenditur, cuius argumentatio in duabus *δικώλοις* pariter compositis inest. Conclusio *δίκωλος* est, cuius primum colum pro sententia gravissima, quam continet, longissimum est. — Tertiae partis (§ 5) numerus est: 2. 1. 4. (2. 2.) 2. 2. Et propositum et conclusio periodis binorum membrorum, argumentatio *μονοκώλῳ, τετρακώλῳ,* quae ex duabus constat periodis *δικώλοις,* et *δικῴλῳ* continetur. Primae periodo respondet ea quae sequitur *τετράκωλον.* Ultimae periodi summa arte compositae membra longissima sunt, cum in iis non solum huius partis, sed etiam totius laudationis inde a § 1 usque ad § 5 conclusio insit, cuius eurythmiam laudat Aristides rhet. p. 776 extr. add. *τὸ δὲ τὴν εὐρυθμίαν ἀπεργασμένον ἐστὶ τὸ ἐμπεριβάλλοντα τὰ νοήματα καὶ ἀπαρτίσαντα στῆναι τὸ νόημα.* Atque illam periodorum *εὐρυθμίαν* ab encomii auctore cogitate observari facillime inde colligitur, quod saepius propter numerosam verborum conclusionem ab orationis brevitate et simplicitate discedit. Atque ut numerose oratio cadat, non modo eandem sententiam et negando et affirmando exsequitur, velut *καὶ τούτοις οὐκ ἰδιώταις ἀλλ' ἐκ βασιλέων βασιλεῦσιν,* vel *ὥστε οὐδετέρων πρωτεύουσιν ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν,* sed, si longiore membro opus est, de eadem sententia uberius fusiusque verba facit velut: *τοιγαροῦν οὐδεμία ἀρχὴ φανερά ἐσιν διαγεγενημένη ἀδιάσπαστος, οὔτε δημοκρατία, οὔτε ὀλιγαρχία οὔτε τυραννίς,* quod per pleonasmum sequitur: *αὕτη δὲ μόνη διαμένει συνεχὴς βασιλεία;* quin etiam ut circuitu et quasi orbe verba comprehendat, in verborum locationem non usitatam ac fere vitiosam delabitur, qualis est *ποίων ἔτι τεκμηρίων προσδεῖται τῆς γε πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς* cf. Buttm. Gr. 346). Atque si encomii partis, de qua disputavimus, comprehensiones numeris notamus, periodorum figura haec est § 1: 2 3, § 2: 3 2, § 3: 3 2 2, § 4: 1 2 2 2, § 5: 2 1 (2 2) 2 | 2. Quam componendi rationem nisi artis praeceptis diligenter cognitis in usu haberi non potuisse facile conceditur. Atque eadem compositionis ratio omnibus iis locis invenitur, quibus laudator ex Hell. non exscribens suo scribendi genere utitur, cui rei documento sint: cp. I, 36—38, ubi periodorum numerus est: § 36: 1 3 3 2 | 1 3 3 2; § 37: 2 | 2 2 (4) 3; § 38: 2 2 3; et cp. II, 23—25; quorum numerus: § 23: 1 3 3 3 2; § 24: 2 3 2 4 4; § 25: 2 2 4 4 3. In cp. I, 36—38 numero membrorum protasis aeque composita est atque apodosis, cum utraque *μονοκώλοις* incipiat, quas *τρίκωλοι* sequuntur, quarum cola sic longitudine inter se respondent, ut singula brevia binis longioribus comprehendantur. Sed ne eodem numero continuato aequabilius procedat oratio, binae *τρίκωλοι* sequuntur, membrorum longitudine sic immutata, ut protasis *τρίκωλος* decrescat, apodosis accrescat. Utriusque partis exitus binorum membrorum periodus est, sed protasis conclusio augetur, quod maxime rem causamque continet (*πρὸς δὲ τούτοις τὸ μέγιστον κ. τ. λ.*), apodosis autem *ἰσοκώλῳ* (13 = 13) numerose terminatur. Atque hunc quoque periodorum numerum non fortuito oblatum sed consilio observatum esse facile concedes. A brevitate enim dicendi laudator saepius discedit, cum et, ut contrapositum formet, pro *ἄρχων παμπόλλων ἐν τῇ ἠπείρῳ πόλεων καὶ νήσων* dicat: *ἄρχων μὲν παμπόλλων ἐν τῇ ἠπείρῳ πόλεων ἄρχων δὲ καὶ νήσων,* et ut numerose concludat, verbis *ἢ εἰ ἐν τῷ ἱππορείῳ ἔτυχεν ἑστηκώς* supervacaneum illud addat *μόνος παρὰ τοὺς πέντε.* In § 37—38 exordium est *δίκωλος.* Sequens *τετράκωλος* duabus *τρικώλοις* constat, quibus in § 38 duae *δίκωλοι* respondent. Quorum membra sic formata sunt, ut in *τετρακώλῳ* singula longiora brevia sequantur, sed in duabus *δικώλοις* § 38 inverso

ordine longiora brevia excipiant. *Τρίκωλοι*, quibus paragraphi concluduntur, aeque compositae sunt, cum bina longiora cola breve complectantur. Circumscripto igitur verborum ambitu efficitur, ut numerose currat oratio. — In cp. II, 23—25, cum oratio incipiat *μονοκώλῳ*, cui simile deest, et terminetur *δικώλῳ*, narratio ipsa tribus *τρικώλοις* continetur, quarum ultima primae *τρικώλῳ* simillima est, quoniam binis longis colis breve inclusum est. Secundae *τρικώλου* membra longissima sunt, quo efficitur, ut media narratio accrescat. In § 24 protasis incipit *τρικώλῳ* (*ὁμοιοτέλ.*) cuius membrum ultimum, ut numerose cadat, longius producitur. Similiter initium capit apodosis *δικώλῳ* (*ἰσοκώλῳ*), post quam duae *τετράκωλοι* positae sunt pariter compositae, cum longa et brevia membra eadem ratione varientur. Cui apodosi membrorum numero respondent periodi, quae insunt in § 25: *δίκωλος* et duae *τετράκωλοι*. — Quibus perlustratis periodos numerose compositas esse cognoscimus iis locis, quibus laudator suo dicendi genere utitur. Neque vero minore arte in ceteris laudationis capitibus (III—X) orationis circuitum effici videmus. Alterius partis laudationis introitus periodorum numerum habet: 2. 3. 4. — In cp. III propositum laudatoris et argumentum generale est: 2 3; transitio: 2; singula argumenta: a) 3 2, b) 3 2 3, c) 1 3 3 1, conclusio: 2. Videmus igitur in § 2—4 alternas *δικώλους* et *τρικώλους* formari, in § 5 duas *τρικώλους* singulis periodis unius membri comprehendi. Totam argumentationem *δίκωλοι* complectuntur. Cp. IV. § 1—2a: 1 2 3 3 4. — § 2b—4: 2 2 3 3 4. — § 5—6: 3 3 1 3 3. Qua arte singulae periodi compositae sint et qua ratione membra membris respondeant, perspicuum est. — Cp. V ex duabus partibus constat: § 1—3 et 4—7. Prioris partis periodos, si numerum spectamus, arte rhetorica compositas invenimus. Comprehensiones autem hae sunt: 2 2 — 3 3 — 2 2 2 — 3 3 3. Atque prima paragraphus incipit a duabus periodis binorum membrorum hoc modo formatis, ut membrum longum breve sequatur; altera *δίκωλος* terminatur *ὁμοιοτελεύτῳ*. Post quas *δικώλους* duae exstant comprehensiones, quae ternis membris continentur. Quarum in priore membrum breve duo longiora complectuntur; in posteriore cola decrescunt, quibus in § 2 primae *δικώλου* membra accrescentia respondent. In § 2 tres *δίκωλοι* sunt ea ratione compositae, ut prima *δίκωλος* augeatur, altera minuatur, tertia syllabarum numero paribus membris constet (*ἰσόκωλον*). Quibus tribus *δικώλοις* respondent in § 3 tres *τρίκωλοι* summa diligentia et arte formatae. Prima enim *τρίκωλος* a longo membro incipit, post quod duo membra invenimus et syllabarum numero et verborum locatione aeque pariterque composita. In periodo altera, quod primae *τρικώλου* in § 1 simile est, membrum breve duobus longis comprehenditur. Ultima *τρίκωλος* pro totius partis conclusione accrescens in *ὁμοιοτέλευτον* desinit. Hac igitur ratione paragraphi 1—3 rhetorica arte circumscribuntur. Quibus altera pars additur, in qua de Agesilao casto continentique agitur. Cuius partis periodos certa lege numerose compositas esse cognosci non potest. Immo vero plurimorum membrorum periodi formantur, quae, cum simile desit, ne minimam quidem certi numeri suspicionem relinquant. In § 4 id, de quo dicendum est, in *δικώλῳ* ponitur, quam sequitur periodus duorum membrorum, quae est introitus sequentis comprehensionis sex cola continentis, cui nulla periodus respondet. Neque magis in § 5—7 numerus observatur. Ceterum monendum est totius huius partis orationem male terminari, si quidem conclusio est *τρίκωλος*, cuius membra descrescant, quo fit ut oratio quasi dilabatur. Quae cum ita sint, eo facilius adducimur ad credendum totam narrationem de Ag. castitate a posterioris aetatis scriptore laudationi insertam esse. Iam venimus ad cp. VI. Inde ab hoc capite usque ad cp. IX non omnes eiusdem capitis comprehensiones ad unam eandemque rationem formantur, neque certa lex et quasi norma dicendi observatur, cum periodi et maiorum et minorum membrorum interdum simili careant. Sed hoc inter periodos illorum capitum et cp. V, § 4—7, quas spurias indicavimus, maximum interest,

quod cp. V periodi ipsae numerose non cadunt, contra in cp. VI—IX longiores comprehensiones, quibus similes non respondent, ipsae certi numeri ratione sic compositae sunt, ut membra aut longiora aut breviora membris respondeant, et, si non totius capitis, at certe earum periodorum, quibus eadem sententia tractatur, numerosus circuitus fiat. cp. VI, § 1—3: 3 | 3 2 2 | 2 3 2. § 4: locus corruptus est. § 5—8: Etiamsi longiores periodi formantur, quibus simile deest, tamen singulas sententiae continuationes, ut numerose caderent, rhetorica arte compositas esse ex hoc apparebit: § 5: *τοὺς γε μὴν πολεμίους εἶχε ψέγει μὲν οὐ δυναμένους | μισεῖν δὲ ἀναγκαζομένους* (2). Duorum membrorum periodus simili modo determinata. Tum: *τοὺς γὰρ συμμάχους ἀεὶ πλέον ἔχειν ἐμηχανᾶτο | ἐξαπατῶν μὲν ὅπου καιρὸς εἴη* (11) | *φθάνων δὲ ὅπου τάχους δέοι* (9) | *λήθων δὲ ὅπου συμφέροι* (10) | *πάντα δὲ ἰδιωτικὰ πρὸς τοὺς πολεμίους ἢ πρὸς τοὺς φίλους ἐπιτηδεύων*. Tria igitur media membra *πάρισα* sunt et simillime composita duobus longioribus membris comprehenduntur. Ultimum membrum Isocratis more longius producitur. § 6: *καὶ γὰρ νυκτὶ μὲν ὅσαπερ ἡμέρᾳ ἐχρῆτο | ἡμέρᾳ δὲ ὅσαπερ νυκτί* (2); ubi chiasmus subest. *πολλάκις ἄδηλος γιγνόμενος | ὅπου δὲ εἴη, καὶ ὅπου ἴοι καὶ ὅτι ποιήσοι* (κόμματα) (2). *ὥσιε καὶ τὰ ἐχυρὰ ἀνώχυρα τοῖς ἐχθροῖς καθίστη, | τὰ μὲν παρὼν, τὰ δὲ ὑπερβαίνων, τὰ δὲ κλέπτων* (κόμματα) (2). § 8: *τοιγαροῦν ταῦτα ποιῶν τοῖς μὲν πολεμίοις δεινὸς ἦν, | τοῖς δὲ φίλοις ἡάρσος κ. ξώμην ἐνεποίει* (2). *ὥσιε ἀκαταφρόνητος μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν διετέλεσεν | ἀζήμιος δὲ ὑπὸ τῶν πολιτῶν | ἄμεμπτος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων | πολυεραστότατός τε καὶ πολυεπαινετώτατος ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων* (4). Duo media cola sunt *πάρισα*, quae similiter cadunt; ultimum membrum producitur. — Iam in cpp. VII, VIII, IX non in omnibus comprehensionibus certa lege numerus observatur. Nam concitatione quadam animi et nimio laudandi studio adductus orator in dicendo quasi praeceps nullum sibi spatium relinquit ad sententias sententiis forma aptandas. (cf. VII, 7, ubi anacoluthon invenitur, cui ratio non subest.) Attamen hoc animi ardore non impeditur, quin et singulas periodos et sententiarum continuationem numerose componat. Cuius exempla a nobis collecta ne proferamus, angusto spatio prohibemur. cp. X: Huius cap. numerus longe aliter se habet. Sedato enim et tranquillo animo orator in laudatione acquiescens in extrema parte et conclusione tempus habet ad omnes sententias certa ratione numerose verbis sic comprehendendas, ut hoc ultimum caput optimum quasi exemplum sit orationis numerose compositae. — Atque hoc caput X ex tribus partibus constat. Iam cum transitio sit *μονόκωλος*, habemus in p. I brevem laudis collectionem (numeros: 3 3 4). Porro in p. II Ag. vita moresque ad imitandum proponuntur. (numeri sunt: 2 2 4.) Denique p. III exponitur Ag. mortuum non qui deploretur, sed qui praedicetur dignissimum esse (3); cuius argumentatio est 2 2 2 | 3 3 3. In parte prima *τρίκωλοι* aeque pariterque sic compositae sunt, ut ex ordine singula membra primae periodi singulis alterius plane respondeant, et bina cola longiora singula brevia comprehendant. *Τετράκωλος*, quae sequitur, similis est antecedentibus *τρικώλοις*, cum duo longiora membra duo breviora complectantur, quae media cola *πάρισα* sunt. Ultimum rursus periodi membrum consilio longius producitur. Simili modo etiam reliquarum partium periodos rhetorica arte numerose conformatas invenies. — Quibus expositis de eloquendi genere laudatorem prae ceteris in orationis forma omne studium posuisse intellegitur. Sed quamquam elocutionem in oratione componenda, si plansum petat orator, magni momenti esse apparet (cf. Arist. Rhet. III, 1. Isocr. Phil. 27: *ταῖς περὶ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις καὶ ποικιλίαις — δὶ ὧν τοὺς λόγους ἡδίονς ἂν ἅμα καὶ πιστοτέρους ποιοῖεν*), tamen res ipsae non minoris momenti habendae sunt. (cf. Dionys. de Isocr. iud. 13.) Cum vero non sine rerum damno et inventione et tractatione postpositis laudatorem elocutionem summo opere coluisse viderimus, cadit in eum Dionysii vituperatio, quam Isocrates subit, bene eloquendi generis facile princeps: *δονλεύει γὰρ ἡ διάνοια*

πολλάκις τῷ ῥυθμῷ τῆς λέξεως, καὶ τοῦ κομψοῦ λείπεται τὸ ἀληθινον. βούλεται δὲ ἡ φύσις τοῖς νοήμασιν ἕπεσθαι τὴν λέξιν, οὐ τῇ λέξει τὰ νοήματα (de Is. iud. 12). At ne propter elocutionem quidem probandus est laudator, qui institutus rhetorum praeceptis in ipsis praeceptis tractandis tironem ac rudem se praebeat. Tantum enim abest, ut ornamentis prudenter dispositis orationi gravitatem et suavitatem afferat, ut effusiorem verborum cultum affectans quasi omnes orationis artes hac una laudatone aperire studeat. Quare multo magis in laudatoris, quam in Isocratis eloquendi genus quadrat illud Dionysii (l. l. c. 13) καί οὐ τὸ γένος μέμιγμαι τῶν σχημάτων· πολλοὶ γὰρ αὐτοῖς ἐχρήσαντο καὶ συγγραφεῖς καὶ ῥήτορες, ἀνθίσαι βουλόμενοι τὴν λέξιν· ἀλλὰ τὸν πλεονασμόν.

Quatenus rhetorum praecepta de oratione bene componenda ad Xenophonteam elocutionem pertineant, duo potissimum viri nostra aetate maxima cum cura et diligentia inquisiverunt, Wifsmann: de genere dic. Xenoph., Gieſsen, diss. 88 et Schacht. (l. l.) Atque Wifsmann cum figuras quae dicuntur Gorgianas ex Anab. Cyrop. Hell. collegerit docueritque, quid illis comparatis concludi possit, Schacht non solum de ornatu verborum simplicium deque figuris sed etiam de periodorum structura et eurythmia copiosius disseruit. Quae Schacht indagavisse sibi videtur, haec sunt: Persuasum habet Xenophontem et non ignorasse rhetoricam artem et haud raro consulto usurpasse. Cui viro doctissimo plurima Xenophontis scripta perscrutanti locos haud paucos incidisse, qui sententiam stabilirent, mirum non est. Fieri enim non potest, quin scriptor nonnunquam, ut vigorem addat dictioni, utatur illis subsidiis, quae sane a rhetoribus non inventa sed tantum probata et certa ratione adhibita sunt. Difficillimum autem profecto est diiudicare, quibus locis nativum quoddam ingenium, quibus ars rhetorica appareat (cf. Hansen: Phil. Rundschau 90, p. 357). — Nobis quidem, quod ad orationes Hellenicorum et Anabasis attinet, quas Xenophon facile ad rhetorum praecepta ornare poterat, haec videntur statuenda: Ac primum quidem tropi in iis inveniuntur pauci. Hyperbata enim maximam partem eiusmodi sunt, ut aut secundariae sententiae subiectum principalis sententiae obiectum fiat (An. III 2, 29 Hell. VI 3, 8 al.), quae verbi transgressio non solum apud oratores sed etiam apud omnium temporum scriptores usitata est (cf. Kühner II, 1082), aut verba grandia in enuntiati initio, significantia in exitu ponantur, quod genus iam Homeri tempore notum atque tractatum erat. Porro litotes non orationis exornandae causa adhibetur, cum etiam in sermone communi saepe illa figura utamur, qua res magna modestiae causa extenuetur verbis. Neque metaphoram modice adhibitam quaesitam contendam esse ornationem. Nam cum etiam agrestes et inculti homines saepe metaphorice loquantur (cf. Cic. or. 24, 81 de oratore 38, 155), atque etiam apud Homerum usus ille sit frequentissimus (cf. Arist. Rhet. III, 11, 14), mirum profecto esset, si Xenophon, cuius orationis suavitas in proverbio est, metaphorae usum repudiavisset. E ceteris troporum generibus adhibentur ironia (semel), hypallage (semel), hyperbole (bis). Similitudines, quae inveniuntur Anab. III 1, 21. III 2, 25. V 7, 24. VIII 20, 24. Hell. II 3, 30 31. VI 3, 16, dilucidae et significantes sunt, cum res similes omnium sensibus et oculis sint subiectae. Similitudinibus autem et sententiis (quae saepius in orationibus inveniuntur), homines ingenui et eruditi rhetorumque doctrina minus imbuti utuntur ad orationem elegantiorem et significantiorem reddendam. Etsi igitur ea, quae adhuc contemplati sumus, non petita ornatio orationis videntur nec documento sunt Xenophontem rhetorum praecepta in iis tractasse, tamen Schachtio concedendum est in figuris et maxime verborum figuris inesse exornationem quandam, qua Xenophon consulto cogitateque usus sit. Nam ut ea anaphorae genera omittamus, quae facillime fiunt aut repetito pronomine (πᾶς) aut adiectivo (πολύς) aut coniunctione (εἴτε-εἴτε, εἰ μέν-εἰ δέ), multa anaphorae genera, ut Anab. 7, 7, 5. ἦν μὲν ἐθέλωμεν πορεύεσθαι, ἦν δὲ ἐθέλωμεν κατακάειν τες vel Hell. VI 3, 13 εἰ μὲν βούλεσθε

πρὸς τὰ κατὰ θάλατταν ἰδόντες, εἰ δὲ βούλεσθε πρὸς τὰ κατὰ γῆν ἐν τῷ παρόντι non rhetorica ratione sed fortuito facta esse cogitari non potest. Neque aliter de annominationum usu frequenti est iudicandum. — Transeamus autem nunc ad id quaerendum, quatenus exteriore et adventicia ornatione, quae compositione efficitur, Xenophon in illis orationibus usus sit. Atque hiatum ab eo non vitari notissimum est; nec voces absonae (κακοφωνία) non inveniuntur; cf. Anab. II 5, 20 ἐκ τούτων πάντων τοῦτον. III 1, 16. V 7, 12. Verba enim, quae eundem referunt in cadendo sonum, sine certa et aperta causa coniuncta freni habentur. Si autem ratio, qua fiat alliteratio, apparet, usus non vituperandus est; cf. Anab. III 1, 37. VII 7, 21 25. Hell. VI 3, 4. 5, 37. VII 3, 6. Verborum numerose componendorum, ut modo hic modo ille numerus praevaleat, a Xenophonte non magis in orationibus ratio habetur quam a scriptoribus aetate maioribus. Namque etsi nonnulli loci eodem numero verborum compositi videntur, ut Hell. 7, 2 2, tamen numerus ille neque purus et rarissimus est, ut casu ortus esse videatur. Maxime autem ex verborum conclusione, in qua componenda rhetores mira erant cura diligentiaque, intellegatur Xenophontem numerum sprevisse. Nam, ut exemplis utamur, in Clearchi oratione II 5, 3 prima periodus concluditur verbis ἀδικήσειν ἀλλήλους. Anab. VII 6, 11: ὑμᾶς εὖ πράττειν § 14: Σεύθου τεχνάζειν. Hell. VI 5, 38 αὐτοὺς τῶν Ἑλλήνων, quamquam rhetorum quasi primum praeceptum est, ne molosso et antecedenti spondeo circuitus concludatur. Neque melius cadit periodus in duos pyrrhichios; apud Xenophontem vero compositio verborum saepius multis continuis syllabis brevibus terminatur, ut Anab. II 5, 8 συνθέμενοι κατεθέμεθα, VII, 6, 15 τοῦτον διαφέρομαι. Quin etiam tota oratio Anab. VII 6, 38 pessime concluditur duobus pyrrhichiis: περὶ ἐμέ. Qua orationis numerose componendae neglegentia factum est, ut nonnulla membra vel periodi versibus et terminentur (ut Anab. II 5, 11 ταύτην σύμμαχον οὖσαν pherecrateo; 14. εἴ τι δυναίμην adonio; 3, 8 πάντων μνημονικώτατοι glyconeo; Hell. VII, 2, 3 μάλιστα συμμένοιμεν ἄν dimetro iambico) et incipiant (ut Anab. II, 5, 15 senario: ἐμοὶ μὲν ταῦτα πάντα ἐνθυμουμένῳ. Hell. II, 3, 26 duobus metris iambicis catalecticis.) Maiore autem diligentia periodi e colis componuntur. Numerus vero periodorum a rhetoribus traditus tractatusque, ita ut membra membris longitudine respondeant et verborum ambitus artus et bene circumscriptus sit, a Xenophontis dicendi genere alienus videtur. Quin etiamsi fortuito verborum constructio apta et quasi rotunda esset, additamento inutili conversio verborum deletur, cf. Anab. V, 7, 12. Quamquam si in orationibus nonnullae inveniuntur periodi, quae per se bene circumscriptae sint (Anab. III 1, 42 43. 2, 20. VII 6, 15 37. VII 7, 24. Hell. II 3, 25) et nonnumquam etiam membrorum syllabae numero fere pares sunt, ut in Anab. VII 7, 42, tamen illas verborum comprehensiones rarissimas multo magis casu quam arte rhetorica factas esse verisimile est. Iam vero si in orationibus periodorum eurythmia reperitur, sententiae cum dicendi forma forte congruunt, non sententiae formae aptantur. Atque cum membrorum, quae in periodos coniunguntur, numeri ratio non habeatur, multo magis periodorum eurythmia neglegitur. Inveniuntur enim periodi, quae et pluribus et uno membro constant, quibus simile non respondet. Cuiusmodi periodis admiscentur enunciata, quae commatis constant. Rursus autem oratio composita est periodis binorum vel ternorum membrorum, quae ex ordine non compositae confunduntur, ut facillime appareat Xenophontis dicendi genus in illis orationibus ab artificiosa periodorum conformatione abhorrere. Dicendum igitur erit orationes Anab. et Hell. scriptas esse ab homine, qui facultate dicendi et copia excelleret cuiusque ingenium, quae esset illius aetatis dicendi ratio, fugere non posset. Nam nixa est sane Xenophontis ars rhetorica cum facundia Socratis usu exculta (id quod maxime ex disponendi et argumentandi arte elucet) tum exornatione quadam adventicia, qua Gorgiae et Prodici consuetudine assuefactus erat (cf. Schacht, p. 4 ff.) et quae occasione audiendi orationes

rhetorice exornatas saepius oblata in eius scripta irrepserat. Ut igitur omnia, quae de compositione et laudatoris et Xenophontis allata sunt, comprehendamus, hoc statuemus, in Agesilai encomio omne studium in eo poni, quomodo dicatur, in Xenophontis orationibus, quid dicatur; apud laudatorem forma sententias, apud Xenophontem sententiis suppeditari orationis formam; in encomio ornationem sic cumulatam esse, ut exornandi ratio rhetorica facile cognoscatur, Xenophontis autem orationes ita exornari, ut colligi non possit eum rhetorum vestigia pressisse. Ac profecto si Xenophon id unquam in animo habuisset, sine dubio in Anab. I, 9 occasionem nanctus esset laudationis rhetorice componendae, ubi Cyri minoris virtutes celebrat. Videmus tamen illam laudationem ab encomii auctoris componendi et eloquendi arte longe recedere. Nunquam igitur nobis persua debitur Xenophontem, virum magna ingenii acie praeditum, tale opusculum scripsisse. At senex erat, cui multa sunt condonanda! An vero putas Xenophontem, si senex praecepta rhetorum, quibus iam prius imbutum fuisse constat, sequi voluisset, se tironem praebiturum fuisse? Encomii autem auctor non senex esse sed potius adulescens nobis videtur. Adulescentis enim est non tam subtiliter quam elate atque alte loqui, porro res gestas narrare, non quales sint, sed quales sibi cogitando depinxerit, denique in oratione ornanda modum non adhibere sed, quid didicerit, quasi uno exemplo docere. Facile autem poterat fieri, ut Xenophon, Agesilai studiosissimus, cum post eius mortem laudationem componi vellet, commentarios diurnos, quos in castris raptim scripserat, (cf. Larsen: Bemaerkninger om Xen. Ag. og Hell. Copenh. 88) auctori libelli traderet, unde aeque atque ex Hellenicis hauriret (cf. Schenkl: Bursian 88, 101 sq.), neque minus facile cogitari potest Xenophontem ei, quo familiariter usus esse putandus est, permisisse, ut suo nomine uteretur, quo celerius laudatio divulgaretur. Atque si non ex Xenophontis ipsius manibus materiem acceperit, aliunde nanctus ob eandem causam nomen eius usurpaverit. Auctorem autem Isocrateum esse cum Hartmano (p. 249) et Kaibelio (Hermes 90, H. 4) contra Blassium (Att. B. II 484) habemus persuasum.